Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2311
Quelle:
Copyright:

Dixi ad *Cod.* CCCXLV. n. 4. Poemation istud abrumpi ibi *Distichо* 43. At in praesenti ita continuatur:

Causa rei talis meretrix fuit exitialis.
Femina fatalis femina digna malis.

et finitur *Distichо* 107.

Sic ex enea crescunt romana trophea.
Sic gens romulea surgit ab hectorea.

Imperfectum tamen est unum alterumve *Distichon.* De Autore opinatus sum *Cod. cit.* Hic *Primatem* dici potius a facilitate putem, qua illi subpetunt Ὁμοτέλευτα.

III. *fol.* 31. Rhythmi morales:

In mundo degentium
Multi sunt errores.

Multiplex afflictio
Et corrupti mores. &c.

Folio huic inscriptum: *Liber fratris Gumperti de Goch Monachi ord. cist.* et p. 2. habetur: *De fugiendo cetum feminarum Rigmus et fallacijs earum.*

Fuge cetum feminarum
Namque status omnis harum
Praua dant stipendia.

Si sit virgo quam tu gliscis
Dampna rerum concupiscis
Cordis et incendia &c.

IV. *fol.* 32. p. 2. *Oratio deuota metrice de beata uirgine.*

Hec superos ciues proprio precellit honore
Virgo que proprium pariendi lege pudorem
Non perdens &c.

V. *fol.* 33. Aliud de Eadem Carmen:

O quam pulchra polo residere maria probaris
Que tam pulchra solo manibus depicta pararis &c.

VI. *fol.* 34. *Incipit autor Theodolus.* Distinguendus a *Theodulo* sive *Theodoro Coelesyriae* Presbytero, et ad Seculum X. promovendus, ut vel Versus ejus *Leonini* probant, quibus V. T. Miracula cum veterum Poetarum Commentis comparantur. Vide *Honor. Augustod.* L. III. c. 13. *Anonym. Mellic.* c. 36. *Sigeb.*